Repleta olim cadaueribus mortuorum. ibi enim hebraei filios suos immolabant demonibus et appellabatur locus ipse gehennon, futuri enim supplicii locus. ubi peccatores cruciandi sunt huius loci uocabulo designatur. Duplicem autem esse gehennam et ignis et frigoris. Inferus appellatur eo quod infra sit. sicut autem secundum corpus si ponderis sui ordinem teneant inferiora sunt omnia grauiora. ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora. unde et in greca lingua origo nominis quo appellatur infernus. ex eo quod nihil suaue habeo resonare perhibetur. sicut autem cor animalis in medio est. ita et infernus in medio terrae esse perhibetur. unde et in euangelio legimus in corde terrae. philosophi autem dicunt quod inferi pro eo dicuntur quod animae hinc ibi inferantur.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI XV. IDEST DE CIUITATIBUS. DE AEDIFICIIS URBANIS ET RUSTICIS. DE AGRIS. DE FINIBUS ET MENSURIS AGRORUM. DE ITINERIBUS

I. De ciuitatibus
II. De aedificiis publicis
III. De habitaculis
IIII. De aedificiis sacris
V. De repositoriis
VI. De operariis
VII. De aditibus
VIII. De partibus aedificiorum
VIIII. De munitionibus
X. De tentoriis
XI. De sepulchris
XII. De aedificiis rusticis
XIII. De agris
XIIII. De finibus agrorum
XV. De mensuris agrorum
XVI. De itineribus

I. DE CIUITATIBUS

De auctoribus conditarum urbium plerumque dissensio inuenitur. adeo ut ne urbis quidem romae origo possit diligenter agnosci. Nam salustius dicit. urbem romam sicuti ego accepi. condidere atque habitare

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_281/0447